36

Ante recessisset caput hoc ceruice cruenta
Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Tene manus unquam nostre dimittere uellent.
Te ne meo paterer uiuus abire sinu.
Si reddenda forent: aliquid tamen ante tulissem.
Nec uenus ex tota nostra fuisset iners.
Vel tua uirginitas esset libata uel illud
Quod poterat salua uirginitate rapi.
Da modo te paridis / que sit constantia nosces
Flamma rogi flammas / finiet una meas
Preposui regnis ego te que maxima quondam
Pollicita est nobis nupta sororque iouis
Dumque tuo possem circumdare brachia collo
Contempta est uirtus pallade dante michi
Cum uenus et iuno / pallasque in uallibus yde
Corpora iudicio / supposuere meo
Nec piget aut unquam stulte elegisse uidebor
Permanet in uoto mens mea firma suo
Spem modo ne nostram / fieri patiare caducam
Deprecor / o tanto digna labore peti
Non ego coniugium generose degener opto
Nec mea crede michi / turpiter uxor eris
Pliada si queres in nostra gente iouemque
Inuenies medios ut taceamus auos
Sceptra parens asye / qua nulla beatior hora
Finibus immensis / uix obeunda tenet
Innumeras urbes atque aurea tecta uidebis
Queque suos dicas templa decere deos
Ylion aspicies firmataque turribus altis
Menia phebee structa canore lyre
Quid tibi de turba narrem numeroque uirorum i. generosorum
Vix populum tellus / sustinet illa suum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1665/0075
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG